

MUCILAGO GUMMI ARABICI.

Rec. *Gummi arabici* pulverati unciam, . . p. 1.

Aquæ destillatæ uncias duas p. 2.

Gummi cum Aqua, paullatim instillata, in mortario vitreo teritur, donec in mucilaginem abierit.

MUCILAGO SALEB.

Rec. *Saleb radiceis* pulveratæ drachmam, p. 1.

Aquæ destillatæ frigidæ uncias duas p. 16.

In mortario vitreo contritis et dein in lagenam capacem inditis adduntur

Aquæ destillatæ ferventis uncia decem p. 80.

Mixta conquassantur, donec refrixerint.

Satpulerograt Hoffmanni

NITRAS ARGENTICUS. *Ag H*

Argentum purum

in *Acido nitrico diluto*

solvitur; solutio, si necesse est, colanda, ope balnei vaporis ad siccum vaporat. Massa sicca in patina porcellanea supra balneum arenæ liquata habetur, quamdiu ferveat; effunditur deinde et post refrigerationem in vase opaco, clauso, servatur.

Si autem massa liquata in fistulas ferreas idoneas secundum leges artis effunditur,

NITRAS ARGENTICUS IN BACILLIS,

Causticum lunare vel Lapis infernalis, vocatur.

NITRAS KALICUS DEPURATUS.

Nitrum depuratum.

Rec. *Nitri crudi* quantum placet;

in *Aquæ destillatæ* quadruplo pondere

solvitur; solutio colata et vaporando ad pelliculam consumpta cum *Aquæ destillatæ* frigidæ duodecima circiter voluminis sui parte commiscetur et quam citissime, inter continuam liquidi agitationem, refrigeratur. Pulvis crystallinus, hoc modo ortus, cum *Aquæ* frigidæ parva copia abluitur et deinde siccatur. Quod si non plane albus sit, denuo simili modo purificatur.

Qui in muria et aqua lotionis manet Nitras, vaporando et refrigerando recuperatur.

Oleum Amygdalarum
OLEUM AMYGDALARUM.

Rec. *Amygdalarum dulcium*, non rancidarum, quantum vis.

In mortario lapideo vel ferreo contusis et sacculo inclusis, exprimitur oleum, prelo primum frigido, postremo aquâ fervente calefacto, post quietem a facibus colatione separandum.

Oleum, frigide expressum, separatim servatur.

OLEUM CACAO.

Cacao de Caracas semina, quot placet, leni igne torrentur, ut eo facilius a cortice mundari possint. Dein in pulverem comminuuntur et in olla ferrea cum *Aquæ destillatæ* sufficiente quantitate coquuntur, ut oleum separetur; tum, aquâ refrigeratâ, oleum concretum eximitur et loco calido per colum chartaceum trajicitur. In capsulis ferreis, stanno obductis, refrigeratum denuo concrescit.

OLEUM CANTHARIDUM INFUSUM.

Rec. *Cantharidum contusarum* uncias duas, p. 1.
Olei Olivarum communis uncias octo p. 4.